



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus I. Argumentum. Beneficia Jurispatronatus competentis Episcopo
ratione Sanguinis, seu Familiæ, vacantia, Sede Episcopali vacante, an sint
reservata. Et incidenter an Abbatia electivæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

tionis cum alio, vel aliis, ista siquidem sub hac Regula non comprehenduntur, sed relinquuntur collationi illius, cum quo Episcopus defunctus habebat simultaneam collationem, vel provisioni Capituli, ad præsentationem illius, cum quo habebat simultaneam jurispræsentandi; dum Capitulum, Episcopatu vacante, quamvis beneficia liberæ collationis conferre non possit, valet tamen conferre beneficia patronalia, seu jurispatronatus alterius personæ distinctæ ab Episcopo, ut firmavi dicto *Cas. unic. ubi supra n. 2. & 5.* ea ratione, quia Pontifex per hanc Regulam non intendit ullum præjudicium inferre aliis Collatoribus, aut aliis Patronis.

Quo ad hanc conclusionem sequentes examinantur Casus.

ARGUMENTUM.

Beneficia Jurispatronatus competentis Episcopo ratione sanguinis, seu familiae, vacantia, Sede Episcopali vacante, an sint reservata. Et incidenter an Abbatia electivæ comprehendantur sub Regula secunda Cancellariæ.

SUMMARIUM.

- 1 Beneficia patronalia Episcopi, Sede Episcopali vacante, sunt reservata.
- 2 Vacat Ecclesia Episcopalis, per absolutio- nem Episcopi, à vinculo suæ Ecclesie, in Concistorio factam.
- 3 Beneficia Patronalia Episcopi non ratione Episcopatus, sed ratione propriæ personæ, seu sanguinis, & familiae, vacantia, Sede Episcopali vacante, non sunt Sedi Aposto- lica reservata; Et quare; Vide n. 4.
- 5 Abbatia quantumvis electivæ cadit sub Regula secunda Cancellariæ, & num. 24. Amplia, ut n. 31.
- 6 Monasteria Regularia de jure sunt electi- va; & n. 10.
- 7 Appellatione quorumcumque beneficio- rum veniunt Monasteria de sui natura electivæ.
- 8 Beneficia, & Monasteria electivæ, an com- prehendantur sub generalibus Constitutio- bus.
- 9 Electio non includitur sub verbis collatio- nis, provisionis, præsentationis, & dis- positionis.
- 11 Enumerantur beneficia, quæ reservantur per extravagantem, Ad Regimen.
- 12 Regula secunda Cancellaria edita fuit am- pliativè ad extravagantem, Ad regi- men.
- 13 Beneficia, & Monasteria Jurispatronatus an, & quando comprehendantur sub Re- gulis Cancellariæ.
- 14 Ecclesie Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales ante Regula secunda edi- tionem erant pro majori earum parte ele- ctivæ.
- 15 Jus eligendi sibi Prælatum, sive in secula- ri, sive regulari Ecclesia, promanavit ex indulgentia Pape.
- 16 Jurisdictio Prælatorum Regularium in subditos non derivat ex vi votorum, sed à Summo Pontifice.
- 17 Referuntur causæ, ex quibus originem ha- buit Regula secunda, & num. 18.
- 19 Quis fuit Auctor Regulæ secundæ, vi- de ibi?
- 20 Episcopatus, & Abbatia in Germania ex vi concordatorum sunt beneficia electi- va.
- 21 Rex Hispaniarum habet jus præsentandi, & nominandi ad quascumque Ecclesias, & Monasteria sui Regni. Et n. 28.
- 22 Rex Galliarum habet jus nominandi, & præsentandi ad quam plures Ecclesias, & Monasteria, & n. 28.
- 23 Restitutio juris supponit illius anteceden- tem ablationem.
- 24 Reservatio quid sit? Vide ibi.
- 25 Electiones ex stylo Datarie, & Cancellaria non approbantur, neque confirman- tur, nisi in tribus casibus.
- 26 Regulam secundam comprehendere Abba- tias electivas probatur ex observantia; & n. 27.
- 28 Abbatia in Italia sunt triennales, & ma- nuales.
- 29 Rex Portugallia habet jus supplicandi.
- 30 In Lotaringia, Episcopatus, & Abbatia electivæ comprehenduntur sub Regula secunda, cum careat concordatis, Privi- legio, & consuetudine.
- 32 Concordata Germania per viam exten- sionis locum habent in Dicecesi Meten.

CASUS

C A S U S I.

Competebat cuidam Episcopo ratione Sanguinis, & Familiæ juspatronatus cujusdam beneficii existentis in propria Diœcesi; in cujus provisione procedebat ad formam superius traditam *Par. II. Can. I. & II. Cas. XV. num. 9. & Can. IV. V. VI. VII. VIII. Cas. IV.* Vacavit hujusmodi beneficium eodem tempore, quo idem Episcopus fuit absolutus in Concistorio à vinculo propriæ Diœcesis, & translatus ad Diœcesim B. Hinc quidam Clericus illud impetravit à Sede Apostolica tamquam vacans Sede Episcopali vacante; quæritur an hæc impetratio sustineatur?

- 1 Facit pro validitate impetrationis, præcedentium *Canonum* dispositio; isti siquidem, ut in *Commentario* vidimus, reservant beneficia juspatronatus Episcopi vacantia Sede Episcopali vacante; Quod autem præsens beneficium vacaverit Sede Episcopali vacante, non videtur ambigendum, dum vacavit, tempore quo Episcopus fuit absolutus in Concistorio à vinculo suæ Ecclesiæ; & translatus ad Ecclesiam B, per quam absolutio nem, & translationem, ipsum desisse suæ Ecclesiæ esse Antistitem, & hæc vacasse, est Doctorum cõmunis opinio, quæ hodie non habet contradictionem, stante resolutione Sacræ Congregationis Concilii confirmata per Breve sa. me. Urbani VIII., per quam sancitum fuit Ecclesiam, à qua volens transfertur, seu quam dimisit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Concistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem Literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, ut sunt verba ejusdem resolutionis, & tradunt *Fagnan. in cap. quanto n. 71. & seqq. de translat. Episcop. Solorzan. de jur. Indiar. lib. 3. cap. 13. num. 80. & seqq. Gratian. discept. 296. n. 15. & seq. Corrad. in prax. benef. lib. 3. cap. 6. num. 66. in fin. Barbof. de jur. Eccles. univ. cap. 19. num. 37. Rot. decis. 475. n. 5. & seq. par. I. rec., & in Segobien. Canon. catus II. Aprilis 1704. S. Nullitas, coram Eminentissimo Scotto.*
- 2
- 3 Sed hoc non obstante censeo supra di-

ctam impetrationem esse nullam; distinguendum est enim inter beneficia juspatronatus Episcopo competentis ratione Episcopatus, seu dignitatis Episcopalis, & Beneficia juspatronatus spectantis ad Episcopum ratione sanguinis, & familiæ, seu ex eo, quod ipse sit de familia contemplata à Fundatore in juspatronatus reservatione. *Canones* isti reservant beneficia juspatronatus Episcopo competentis ratione Episcopatus vacantia. Sede Episcopali vacante, ut expressè ibi legitur, non verò reservant ea beneficia Juspatronatus, quod competit Episcopo ratione sanguinis, seu familiæ; ista siquidem vacantia Sede Episcopali, quocumque modo vacante, sive per obitum, sive per renuntiationem, sive per translationem Episcopi sunt conferenda per Capitulum ad præsentationem Episcopi, si iste Episcopatum renunciet, aut ad aliam Ecclesiam transferatur, vel ad præsentationem alterius de familia à Fundatore substituti, si Episcopus moriatur, cum Capitulum, Episcopo civiliter, vel naturaliter defuncto, succedat in ejus jurisdictione necessaria, cujus est Collatio faciendâ favore certæ Personæ ad nominationem, seu præsentationem alterius, ut latè probavimus superius *Part. V. Can. III. Cas. unic. n. 2.* Ratio est, quia in hoc casu Præsentatio non est fructus Episcopatus, seu Episcopus non præsentat ad dictum beneficium, ut Episcopus, sed ut Persona privata à Fundatore contemplata in juspatronatus reservatione, adeò ut beneficium dicatur esse juspatronatus alterius Personæ distinctæ à Persona Episcopi, & consequenter reservationi horum *Canonum* minimè obnoxium, imò ab eis expressè præservatum, ut legitur, ibi = *Non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia.* =

Ad materiam, & ornatam hujus *Canonis XV.* subijcio hic quæstionem illam satis celebrem, & agitatam, videlicet an Abbatia electiva cadat sub ejusdem *Canonis* dispositione; cujus resolutionem desume ex sequenti decisione *S. Rotæ*, ubi similis articulus disputatus fuit.

Rmo P. D. MOLINES DECANO.

Viridunen. Abbatia.

Luna 3. Aprilis 1702.

Quamvis gemina in hac causa prodierint Decisiones, alia sub die 26. Junii 1699. Altera verò 2. Julii 1701, luculenter firmantes dandam non esse confirmationem P. Gabrieli Maillet electo ad Abbatiam S. Michaelis Viridunen., sed potius illius dispositionem spectare ad Sanctam Sedem Apostolicam; Nihilominus cum ageretur de gravi, & exemplari articulo, postremaque Decisio emanaverit, Dataria Apostolica tantum informantem, & ceteroquin in ultimo Memoriali porrecto pro nova Audientia nonnulla proposita fuerint in facto, & in jure, plenè forsan, ut par erat non discussa, faciles fuerunt Domini in impartienda licentia, captam resolutionem iterum impugnandi. Verùm tertia hæc disputatio nihil profuit succumbenti, è converso magnoperè juvit Datariam Apostolicam, cum ejus juribus hodie magis elucidatis, citra ullam fluctuationem Domini in Decisis persistendum esse autumarunt.

5 Planum quippe, & propemodum evidens hodie visum fuit controversam Abbatiam quantumvis electivam cadere sub regula secunda Cancellaria, reservantis ad Sedis Apostolicæ dispositionem omnia virorum Monasteria, in qua unica inspectione restrictus fuit hujusce contentionis modus, & quidem ex quatuor probationum fontibus; Et primò ex proprietate, & generalitate verborum, atque ex contextuali reservatione majorum Ecclesiarum; Secundò ex causis, & rationibus, ob quas generaliter omnes dictæ reservationes originem, & progressum habuerunt; Tertio ex declarationibus emissis à Summis Pontificibus, & Juris Consultis ipsam interpretantibus; Et demùm ex subsæcra observantia, quibus sanè mediis juris Canonici, & Cæsarei Conditores regulariter utendum esse docuerunt in indagando quid in legibus, sanctionibus Pontificiis, aliisque Principum Constitutionibus contineatur, ut de primo medio est *Text. in cap. quia circa*

22. de privileg., de secundo l. scire ff. de legibus; de tertio, & de quarto l. 36. ff. de legibus, & *senat. conf. & l. 22. ff. eodem tit. & passim juris nostri Interpretes.*

6 Et sanè juxta præscriptam methodum, initium sumendo à verbis, simplex, & nuda Monasteriorum reservatio, satis est ad evincendam comprehensionem electivorum, cum de jure Monasteria Regularia sint electiva Canon. *Abbatem in Monasterio* 4. 18. *quest. 2. & Canon. quam sit* 5. *ibidem cap. 1. & cap. officii tui* 38. *cap. cum in magistrum* 49. *de elect. Murg. ad Constit. Benedictin. constit. 6. & 12. Alex. IV. n. 45 2. cum seqq. Matta de caus. Concistor. sect. 19. §. 3. n. 60. Thomasin. de re benefic. part. 1. lib. 3. cap. 32. n. 6. vers. hæc privilegii certi auctoritas*, ubi quod facultas eligendi Abbatem in Monachis est veluti quædam agnata libertas, & juris communis lex, & dixit *Rota dec. 296. n. 5. coram Coccino, & dec. 65. n. 5. & 9. par. 1. & dec. 319. n. 23. par. 16.*

Quantò magis ergo idipsum exploratum efficitur advertendo, quod expressioni Monasteriorum addita fuerit dictio *omnis*, cujus universalitas amplectens totum id, de quo prædicatur subjectum, cui adjicitur, ostendit manifestè regulæ conditores sub illa comprehendere voluisse cujuscumque speciei Monasteria tam actu electiva, quàm non, ut omissis generalibus congestis in præteritis Decisionibus, quæque ipsis citatis reassumuntur *in Ferrarien. seu Imolen. Bonorum 2. Decembris 1699. §. Insubstans, coram Me*, ita in specie dictionis *omnium* appositæ in regulis Cancellariæ tradunt *Salern. conf. 2. n. 77. lib. 1. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 6. n. 20. & seqq.* Et quod appellatione similium generalium verborum *quorumcumque Beneficiorum* veniant Monasteria de sui natura electiva respondit *Rota decis. 189. n. 1. & seqq. par. 2. divers.*, quam sequuntur *German. de indult. §. Ac beneficia n. 24.*

8 Ut hinc propterea nihil officiat oppositio, in qua Scribentes contra Datariam tenaciter insistebant, quod scilicet Beneficia, & Monasteria electiva, utpotè speciali nota digna sub generalibus Constitutionibus non comprehendantur, nisi de illis specialis fiat mentio *ex cap. cum in illis 16. §. Illis verò de præbend. & dignit. in 6. & ex Clementina prima eod. tit. edita,*

ta, ut ibi ait *Gloss.* in efformatione casus ad antedictæ Decretalis declarationem, & ampliacionem.

Siquidem hypothesis Regulæ secundæ longè differens est à casu, de quo loquuntur expositæ Decretales, nam ibi in Papæ mandato de providendo expressæ fuerunt Dignitates, Personatus, aut Beneficia, quorum nomine juxta illorum regularem naturam veniunt illæ, quibus aliquis præficitur per collationem, & non electionem, ut notat *Gloss.* in dicto cap. cum in illis, vers. nota ibi illis verò; Rursus ibi Pontifex expressis verbis designavit naturam Beneficiorum providendorum; Illa nempe, quæ spectabant ad collationem, provisionem, præsentationem, vel dispositionem Episcopi Pictaviensis.

9 Unde cum electio non includatur sub verbis collationis, provisionis, præsentationis, & dispositionis ob differentiam, quæ intercedit inter hosce providendi modos, nec alioquin Papa gravare voluit, nisi Episcopum Pictaviensem in Gratia nominatum; Jure merito rescriptum fuit sub dicto mandato non contineri Beneficia electiva spectantia non ad unius tantum, sed ad Collegialem plurium electionem, sicuti enim Papa expressè designavit alios modos providendi, ita expressisset hunc specialem electionis, quatenus illum sub mandato providendi includere voluisset, ut egregiè docuit *Gloss.* in sæpe dicto cap. cum in illis in efformatione casus, ibi = Quia Papa non intendit per meam Gratiam gravare, nisi solum Episcopum Pictaviensem; & in verbo electionem, ibi = Electio igitur non includitur sub verbo provisionis, vel dispositionis, cum inter ista tria adsit differentia = & colligitur etiam ex dicta *Clement. prima*, ibi = Cum in concessione Gratia) superiùs narratæ, quæ certos, modos, habebat expressos, ut subjungit *Glof.*) Nullam de electione fecerimus mentionem = & explicant meliùs *Franch.* ad cap. cum in illis, verb. electionem, *Passerin.* ibidem sub num. 26. *Abb. conf.* 38, col. 3. sub n. 2. vers. 4. posset attentari lib. 2.

10 Reservatio autem contenta in Regula secunda non exprimit Beneficia, vel Dignitates juxta suam propriam naturam ad unius tantum dispositionem, & nominationem spectantia, sed ad Monasteria,

Pars VI.

quæ ut probatum est juxta Sacrorum Canonum, Conciliorum, & Regularium Constitutionum dispositionem sunt electiva, ideoque cum hujusmodi qualitas electiva insit de jure in Monasteriis, satis erat illa in regula simpliciter expressisse ad denotandum eorum nomine comprehensa fuisse electiva, citra specialem hujusce qualitatibus mentionem, per ea, quæ docuit *Bald.* in cap. ad ordinem de rescript. *Cassador. dec.* 12. de præbend. n. 7. & seqq. cum aliis in *Tirasonen. Prioratus* 11. *Martii* 1689. §. His firmatis, & §. fin. coram *clar. mem. Cardinali Caccia*; Rursus in Regula secunda non exprimentur certi modi providendi Monasteria, sed generaliter absque ulla restrictione reservantur Monasteria, & quidem cum dictione universali omnia, in quibus terminis etiam modus electionis, & quicumque alius comprehenditur, ut tenet *Gloss.* in dicta *Clement. prima* §. 1. in verbo quamvis in fin. de præbend. *Card.* ibi in 5. quæst. *Gemin.* in §. Illis col. 2. in fin. vers. quid si in literis, & distinguendo *Silva de Benefic. par.* 3. quæst. 11. n. 87. & seqq. *Æneas de Falcon. de reservat.* in 3. quæst. n. 21. inter tractat. magn. tom. 15. par. 1. fol. 252., & pleno calamo contrariis rejectis tucur *Fagnan.* in cap. nullus de election. à num. 18. usque ad 29.

Consimili responsione obtunditur altera oppositio fundata in *Extravag. ad Romani*, & ad regimen de præben. & dignit. sub obtentu, quod inibi Pontifices *Benedictus XII.* & *Paulus II.* volentes inter Beneficia reservata comprehendere electiva, expressam de illis fecerint mentionem. Enim verò in *Extravag. ad Romani*, recensita solummodò noscuntur Beneficia secularia, & cujusvis Ordinis Regularia, nulla facta expressione Monasteriorum; unde cum Beneficia Regularia provideantur etiam per collationem ad evitandam quæstionem, an sub indefinita illorum mentione, comprehenderentur electiva, benè factum est, illa, verbis expressis reservare, quæ difficultas cadere planè non poterat, si facta esset mentio Monasteriorum, utpote de sui natura electivorum, & præsertim quatenus expressa fuissent cum dictione universali omnia, prout nominata leguntur in *regul.* 2. ex supra firmatis.

Qq

In

In *extravaganti* verò ad regimen, plures Beneficiorum species ad sui liberam dispositionem reservavit Benedictus XII., & primò omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales; Secundò Monasteria, & quoad hæc nullam adjecit mentionem qualitatis electivæ; Tertio Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, necnon Canonatus, Præbendas, & Ecclesias, minusque in his ullam fecit mentionem de electivis; Quarto demum reservavit cætera Beneficia Ecclesiastica cum Cura, vel sinè Cura, secularia quæcumque, & qualiacumque fuerint, & in his addita fuit clausula electiva, ibi = *Etiamsi ad illa Persona consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi* = quæ verba referuntur ad præcedentem quartam reservationem, cui immediatè adjiciuntur Beneficiorum scilicet secularium, & Regularium, in quibus cadere poterat quæstio, an Beneficiorum appellatione veniant electiva, non autem ad primam reservationem Episcopatum, & Monasteriorum, quorum respectu, nec qualitas electiva fuit expressa, neque talis expressio necessaria erat; dum eo ipso, quod reservabantur Episcopatus, & Monasteria, in quandam necessariam consequentiam intelligebatur expressa qualitas electiva, utpote de jure in utroque harum Dignitatum genere insita ex supra deductis, quibus additur *Germon. de indult. §. Ac beneficia n. 22.*

Ea quoque non omiſſa optima ponderatione, quod Regula secunda edita fuit
 12 ampliatiuè ad expensam *Extravagantem ad Regimen*, nam ubi ista restricta fuerat ad Episcopatus, & Monasteria apud Sedem vacantia, illa extendit, & ampliavit reservationes ad vacationes etiam extra Curiam sequutas, ut deprehenditur ex lectura, & observant *Azor. instit. par. 2. lib. 6. cap. 32. quæst. 10. Mandos. ad hanc regul. secundam quæst. prima num. 3. in fin. Gonzal. ibidem §. 1. vers. capit autem, Passerin. de elect. cap. 33. n. 70. Castropal. oper. moral. tom. 2. tract. 13. punct. 18. n. 2.* Quemadmodum igitur Extravagans prædicta loquitur de electivis, de iisdem quoque loquam regulam interpretatiuè concludendum videtur, juxta naturam dispositionis declaratæ, & extensæ, quæ est, ut includat omnes qualitates actus

declarati, & ampliati, ut post *Bald. in l. cum Testamento num. 5. vers. item nota, C. de Testam. manum. dixit Rota decis. 502. n. 15. par. 1. & decis. 293. n. 18. par. 12. & dec. 159. n. 13. par. 15. & in Ferrar. seu Imolen. Bonorum 2. Decembris 1699. §. Tum quia, coram Me, ac in specie ponderavit Mareſcott. var. resol. lib. 2. cap. 94. n. 61. in fin. & n. 62.*

Minusque urget alterum objectum,
 13 quod sicuti generalis reservatio omnium Monasteriorum, non comprehendit Monasteria juris patronatus, ita mirum videri non debeat, si non comprehendat electiva; Quoniam vera non est generalis propositio, quod Beneficia juris patronatus, non subiaceant regulis Cancellariæ, dum Doctores in hac re procedunt cum distinctione inter jurapatronatus competentia ex jure speciali, puta privilegio, sive ex consuetudine, & altera competentia de jure communi, atque ut nostri dicunt de justitia, ratione dotationis, vel foundationis, conveniendo quod primæ speciei jurapatronatus veniant sub regulis Cancellariæ, secus verò altera secundæ speciei, ut distinguendo tradit *Card. de Luc. de jure patr. discurs. 65. n. 20. cum seqq.*, ubi congeruntur omnes concordantes; nulla autem currit paritas inter Beneficia juris patronatus ex fundatione, vel dotatione, & Beneficia electiva; Illa enim Papa eximit à quibuscumque reservationibus, etiam in corpore juris clausis, nè pii Fideles à dotatione Ecclesiarum retrahantur, ut ex *Gloss. in cap. 2. verb. collatio de præbend. in 6. tenent communiter Adden. ad Buratt. decis. 369. n. 12. Rota coram Coccin. dec. 1343. n. 3. & seqq.* cum aliis concordant. relatis in *Romana Clericatus S. Laurentii in Damaso 30. Martii 1698. §. Immo, coram me*, Quamobrem mirum non est, quod non veniant sub generali reservatione omnium Monasteriorum, cum alias dictiones universales semper præservent casum ab alia legè exceptum, *Thabor. axiom. jur. lib. 3. cap. 22. vers. declara hanc regulam*; Neque lex generalis corrigit præcedentem habentem specialem rationem, ut latè exornat *Fagnan. in cap. cum esses de Testam. n. 38. cum seqq. Rota coram Bich. dec. 229. n. 21.* E' contra verò nulla lex adduci potest eximens à reservationibus Beneficia electiva,

ctiva, dum superius expensæ Decretales in oppositum allegatæ loquuntur in aliis terminis, ut abundè explicatum fuit; Quapropter non est cur cenferi debeant exclusa à regula secunda generaliter præservante omnia, & quæcumque Monasteria; Immò procedentes cum recitata communi DD. opinione, quod Beneficia Patronalia ex privilegio cadant sub regulis Cancellariæ, utriusque cadere quoque debent Monasteria electiva, cum potestas eligendi Regularibus concessa promanaverit ex pura gratia, & liberalitate Summi Pontificis, ut firmat secunda hujus Causæ Decisio, & latius infra opportuniore loco comprobabitur.

14 Ex quibus clariùs, quàm ut dici valeat fundata remanet prima pars prioris assumpti, quod nempe attenda simplici Monasteriorum, & quidem omnium reservatione, ambigi nequeat quin Monasteria electiva cadant sub regula secunda quantumvis de illis expressa non sit facta mentio, sed manifestius id suadet contextuallis reservatio Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium hujusmodi, quippe Ecclesiæ tametsi ante regulæ secundæ editionem essent pro majori earum parte electivæ, electione ad Capitulum, & Clerum spectante, ut latè firmant Decisiones, quæ revidentur, & præter ibi allegatos latè differit *P. Thomassin. par. 2. lib. 2. cap. 3. Van. exper. par. 1. tit. 15. cap. 2.* Nihilominùs illarum reservatio facta legitur absque ulla distinctione inter electivas, & collativas. Per hoc tamen nullus Doctor dixit, aut ausert dicere, quod sub dicta generali dispositione non venirent Ecclesiæ Cathedralis electivæ sub obtentu, quod de illis expressa mentio facta non fuerit, ideoque sinè ullo pariter recto fundamento contenditur sub generali Monasteriorum nomine non cadere Monasteria electiva, dum Ecclesiæ prædictæ, & Monasteria noscantur reservata sub una, & eadem determinatione, ac verborum contextu citra ullam distinctionem, ubi enim lex generaliter loquitur, & non distinguit, neque nos distingere debemus *cap. quia circa 22. de privileg.*, ubi Cœlestinus III. Archiepiscopo Londinensi respondit si indultum fuerit per verba indefinita conceptum, dum nihil excipitur de eo, quod

Pars VI.

indulgens excipere poterat, plenissimam interpretationem faciendam esse, neque debere unam, eandemque substantiam diverso jure cenferi, & concordat *Text. juris Casarei in l. non distinguemus ff. de recept. arbitr. & l. 2. §. Conveniri ff. de judic.* Accedente etiam illo altero famigerato juris axioma, quod una, eademque determinatio plura respiciens determinabilia, non debet diversimodè interpretari quoad unum, ac alterum determinabile, quando præcipuè eadem militat determinationis ratio ad *Text. in l. nam hoc jure ff. de vulgar. & pupillar. Rot. dec. 129. n. 10. par. 8. & dec. 282. n. 12. coram Card. Celso.*

Non subsistente, quod ista parificatio non currat inter Capitula, & Monasteria, ex quo Cathedralis Ecclesiæ ortæ sunt cum ea qualitate, ut Episcoporum Electio spectaret ad Summum Pontificem tametsi postea ex Sedis Apostolicæ Benignitate tale jus ad Capitulum transiverit; Facultas verò eligendi sibi proprium Abbatem fuerit ingenita, adoleveritque cum ipsis Regularium Institutis, ideoque Papa magis læsisset jura Monasteriorum, quàm Capitularium per suppressionem tituli Electivi.

15 Placuit siquidem responsio, qua ejusmodi objectum explosum fuerat in secunda hujus Causæ Decisione *§. Quandoquidem*, nimirum quod jus eligendi sibi Prælatum, sive in seculari, sive regulari Ecclesia promanavit ab Indulgentia Papæ, & forsan hujusmodi Privilegium obtinuerunt Regulares prima vice à Pelagio Primo post medium sexti Seculi, ut habetur ex Epistola ab eodem Pontifice directæ Melito Subdiacono registrata in dicto Canon. *Abbatem il 4. 18. quest. 2.*, idemque concessit S. Grégorius in *Canon. sequenti, quam sit necessarium eadem quest. 12.* Et quoad Ecclesias seculares probat *Fagnan. in cap. nullus num. 13. de elect.* Et signanter Superiores Religionum totam eorum jurisdictionem à Pontifice recognoscunt, *Sanchez ad præceptum Decalog. lib. 5. cap. 1. num. 20.*, ubi

16 quod jurisdictio Prælatorum Regularium in subditos non consurgit ex vi, & natura votorum, sed derivatur à Summo Pontifice Religionem approbante, qui propterea Generalis Generalissimus omnium

Qq 2 Reli-

Religionum denominatur, ut notavit Murg. ad Constit. Benedic. Constit. 6. Alex. IV. n. 148., quibus consequens est, ut Monasteria dici nequeant habere jus Electivum ex propria natura essentialiter diversum ab illo quo Ecclesiæ Cathedralis primitus fruebantur, sed unum, & idem est ab unico fonte Pontificiæ auctoritatis derivatum, & ab ipso Papa quodcumque, veluti suum reassumibile citra alicujus injuriam, Gonzal. super regul. 8. §. 1. proœmial. n. 45. cum duobus seqq. & §. 6. num. 8. & 9. Lotter. de re Beneficiar. lib. 1. quæst. 26. num. 40. & lib. 2. quæst. 33. num. 3. Passerin. de elect. cap. 6. quæst. prima n. 16. juncto n. 20.

Jam verò si ex hætenus animadversis 17 verba, & contextus Regulæ secundæ clarè evincunt comprehensionem Monasteriorum Electivorum, lucidissimè hoc ipsum pandunt rationes, ob quas Summi Pontifices illam ediderint; Duabus namque ex Causis originem reservationum processisse memoriæ traditum est, quarum primam præbuit necessitas excutiendi è manibus Laicorum Beneficia Ecclesiastica, sub pluribus quippe prætextibus Principes Laici Prælatos Ecclesiis Cathedralibus, & Abbatiis præficiabant, nulla prævia electione, vel si eligendi dabant licentiam eodem contextu Personam eligendam designabant, qui sanè abusus uniformi omnium Sacrorum Canonum Censuræ contrarius, inter alia quamplurima mala illud omnium pessimum publicæ Ecclesiasticorum Beneficiorum venalitatis progenuit, adeout teste Thomassin. de Benefic. cap. 39. n. 5. par. 2. quidam laudatissimus Scriptor sub Pontificatu Alexandri II., & Gregorii VII. memoriæ proditum reliquerit, Aulam Imperatoriam veluti Emptorium fuisse, ubi Abbatia venales prostrarent, ibi = *Ut Abbatia publicè venales prostituantur in Palatio, nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus Emptorem inveniat*; Et quoniam hujusmodi usurpationes notabile receperant incrementum sub Imperio Friderici Secundi, postquam in Romanam Ecclesiam cœpit palàm insurgere, idcirco Gregorius IX. Canonicas in Imperio, & Sicilia Regno electiones cœpit suspendere, sibi que reservare, vacantibusque Sedibus, Episcopos, &

Abbatem Romanæ Ecclesiæ fidos, & Friderici violentiis constanter adversos nominare, quas reservationes ad exemplum Gregorii facere continuarunt alii successores, ut præssimis ferè verbis testatur P. Christian. Lupus ad Canon. Concilior. tom. 3. dissert. 3. cap. 8. fol. 312. & cap. 9. fol. 223.

Post excussam alias non finè gravissimis obicibus eligendi licentiam de Regum manibus, restitutæ fuerunt Capitulis, Monachisque electiones, & usque adhuc illarum usus ubique locorum forsitan vigeret, nisi successu temporis coinquinatus esset aliis modis magis damnablem, utpotè procedentibus ex facto ipsorum eligentium, qui ambitus, & avaritiæ spiritu ducti penè omnes reddiderant electiones impacatas, vitiosas, nefariisque cupiditatibus maculatas: Ob hanc aliam propterea causam obstricti fuerunt Pontifex Bonifatius VIII., & Clemens V. potestatem eligendi ad se pertrahere, mediantibus reservationibus, adeout nonnulli Scriptores, quos refert, & sequitur Franciscus Ramos del Manzano clari nominis juris Consultus Hispanus in Memoriali ad Alexandrum VII. porrecto, circa provisiones Episcopatum tunc vacantium in Regno Lusitanæ propof. secundæ n. 3., crediderint Regulam secundam fuisse inchoatam à Bonifacio, & à Clemente editam. Veritas tamen magis explorata est, quod cum Clemens V. non 19 admodum frequenter usus sit hisce reservationibus, sed crebrius, & ampliori jure illas ad usum deduxerit illius successor Joannes XXII: Natione Gallus, ferè omnes conveniunt Scriptores, tam Historici, quàm legales, Auctorem Regulæ secundæ fuisse nominatum Papam Joannem evitandi causa dissentiones, & labem Simoniacam, quæ generaliter ferè omnes comitabantur electiones, & præ cæteris Villanus in Histor. Florent. lib. 12. cap. 20., ubi refert, Joannem XXII. reservasse omnia Beneficia Collegiata Christianitatis, e tutti gli voleva dar egli, dicendo il faceva per togliere le Simonie. Ciaccon. in vita ejusdem Pontificis fol. 391. Thomassin. de benef. tom. 2. lib. 2. cap. 40. num. 9., & ex nostris Gomez in proœm. regul. quæst. 1. §. Redeamus, Bursatt. conf. 126. sub n. 18. Matta ad concordat. German. num. 35.

num. 35. & *quæst.* 26. num. 36. *Corrad. de dispensat. lib. 1. cap. 6. n. 46. & 47.*

Ex qua Historica narratione cum edoceamur Principes Laicos manus injecisse non solum in provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, sed etiam Abbatialium impediendo, seu directè, sive indirectè liberum Canonicarum electionum exercitium, quodque dissensiones, & discordiæ, pactaque illicita, quibus subinde restitutæ electiones ab intestinis ipsorum eligentium motibus, ac tractatibus conturbari, & coinquinari cœperint, æquè experiebantur in electionibus Prælatorum majorum, quam inferiorum, invincibile redditur, quod si ad obruncandum duplicem hunc abusum deventum fuerit ad reservationes contentas in regula secunda, procul dubio in eadem fuisse comprehensas, nedum Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales, verum etiam Monasteria electiva. Inverisimile quippe est, imò omni justitiæ dictamini repugnans, Pontifices excutere voluisse à manibus Principum Ecclesias Cathedralium tantum, quando Monasteria eidem subijcebantur infortunio, quodque arcerere studuerint dissensiones, & jurgia, pestemque Simoniacam ab electionibus majorum, & non inferiorum Prælatorum, contra omnia rectæ rationis principia, distantia, ut vitia, quæ generaliter ex una radice nascuntur, una lege universaliter tollantur *Can. si vis Christus. 1. quæst. 1. can. si quis per vetus 22. quæst. 2. leg. si libertam in fine C. de nuptiis Gloss. in cap. translato verbo, & quoties de constitut.* Concludendum propterea, quod ubi verba regulæ adeò clara non essent, qualia profectò superius ostendimus pro comprehensione Monasteriorum electivorum, adhuc tamen cum ratio, & causa motiva illa editionis esset communis, tam Ecclesiis Cathedralibus, quàm Monasteriis electivis utriusque dignitatis, speciem amplecti fatendum est, ex regula, de qua in dicto cap. translato de Constit. cap. præterea, & ibi gloss. de offic. de legat. leg. 2. ff. de jurisd. omnium judicum, & passim apud Doctores.

Magis in aperto ponitur hujusmodi veritas prosequendo historiam controversæ reservationis, brevissimè percurrendo ea, quæ acciderint, postquam

successores Joannis XXII. in eadem continuarunt; Non minus namque Principes, quàm Capitula, & Conventus Monastici adversus eandem reservationem obstrepere cœperunt, instando pro restitutione electionum, ac præcæteris Basileenses rotos adhibuerunt conatus pro illis vindicandis, sed ab initio infelici exitu, non obstantibus namque eorum decretis Summi Pontifices regulas reservationis Episcopatum, & Abbatiarum, confirmarunt teste *Mandof. ad regul. 2. quæst. 12. n. 12. Cochier. ibidem n. 15. & 16. Bursatt. dicto cons. 126. num. 21. Germon. de Indult. Cardin. S. Ac Beneficia num. 8. & seqq. Fermosin. in cap. cum Ecclesia Sutrina quæst. 2. sub n. 11. de caus. possess. & propriet.* Sed post Concilium Basileense nonnullis ex prædictis decretis rejectis, aliquibus verò receptis, ut refert *Æneas Sylv. epist. 371.*, deventum fuit inter Nicolaum, & Federicum II. Imperatorem, seu Nationem Germanicam ad Concordata, quorum vigore Germanis restitutæ fuerunt Episcopatum, & Abbatiarum electiones, mirabili quidem arcani Numinis providentiæ consilio, quippe quod cum in Germania electiones, & audaciùs fuerint, & diutiùs à Principibus oppugnata, ea ipsa nunc sit earum retinentissima, & una propemodum Christiani Orbis Provincia, in qua mediantibus ipsorum Principum Instantiis adhuc vigeant, sunt ferè verba doctissimi *Thomassin. de Benefic. par. 2. lib. 2. cap. 38. num. 10.*, ubi lato calamo disserit de hisce Concordatis, & referunt etiam *Spondan. anno 1457. num. 5. & Raynald. eodem anno n. 47.* In aliis namque Regnis sublatis electionibus factæ fuerunt reservationes, sed successivè variis de causis indultum fuit Principibus jus, aut præsentandi, aut nominandi, quorum primum præsentandi habet Rex Catholicus ad quascumque Ecclesias, & Monasteria in Hispaniarum Regnis vigore Indulti Adriani VI., & aliorum Pontificum, ut referunt *Cortada dec. 7. num. 35.*, & magis latè in *decis. 253. à num. 17. ad num. 78. & dec. 257. num. 1. Solorzanus de jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 2. & 3. Pegas de competentis part. 1. cap. 8. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 3. n. 8. & à num. 29. ad num. 34. Rota apud Coccin. dec. 1023. n. 1.*

&

& secundum nominandi obtinet in Belgio ex Indulto Sixti V., ut apud *Spad. conf. 134. n. 2. 3. cum sequent. lib. 1.*, similiter Rex Christianissimus consecutus est Privilegia nominandi à Leone X. pro Ducatu Britannia, & pro Provincia Provincia. Ab Alexandro VII. pro Tractu Menthensi, Tullensi, & Viridunensi. A Clemente IX. pro ditionibus Gallo Belgicis, & Comitatu Ruscinonis, & demum ab Innocentio XI. pro Comitatu Burgundia, ut latè tradit *P. Thomassin. d. cap. 40. per tot., ubi n. 6.* optimè occurrit Spondano nomine Gallicani Cleri conquærenti ob rescissas Capitulorum, & Monachorum electiones prius mediatis reservationibus, & postea nominationum concessionibus in favorem Regum.

Ex quibus duplex eruitur ponderatio efficaciter comprobans Monasteria electiva cadere sub reservatione Regulæ secundæ, quarum primam præstant Basileensium querelæ, decreta, atque subsecuta Concordata. Ad quid enim tanto strepitu Basileenses, Principum Germanorum auctoritate muniti, conquesti fuissent de ablati, & rescissis electionum juribus, ad Capitula, & Monachos spectant., si reservationes non amplecterentur Monasteria electiva, sed ea pauca, quæ Conventu carebant, quævè commendari solita erant, & quomodo subinde Monachi Germani obtinuerunt in vim Concordatorum pristinam libertatem eligendi, quatenus antecederet Regulæ secundæ reservationes illam non sustulissent? contra regulam, quod restitutio juris supponit illius antecedentem ablationem, sicuti privatio præsupponit habitum *leg. decem 117. ff. de verb. obligat. leg. remittit ff. de jur. jur. Everard. in topicis legalibus loc. 6. Rot. dec. 242. n. 4. & decis. 307. num. 1. part. 2. rec. & in Firmana jurisdictionis super reservatis 15. Aprilis 1701. §. Habere assertionem, coram Me.*

Indulta nominandi, & præsentandi Principibus concessa secundam excitant ponderationem, nihil enim magis omnibus exploratum est, quàm ut Causam dd. Indultorum tribuerint generales reservationes Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum, quas Pontifices ad sui favorem constituerant, adeo ut Pontifices in illis concedendis non tantum derogave-

rint SS. Canonum dispositioni Capitulis, Cathedralibus, & Monachis jus eligendi tribuentibus, quam regulis Cancellariæ generalem illorum continentibus reservationem, ut videre est ex tenore ipsorum indultorum, quæ per extensum refert *Dowiat. in specimen. juris Gallici quest. 2. pag. 35. cum seqq., & apud Pinson. in tract. des regales, & in notis Summariis ad Regia Indulta.* Si igitur Pontifices concesserunt Principibus Laicis jus nominandi, & præsentandi ad Monasteria post factas sepe dictas reservationes, illis in forma speciali derogando, manifestum confurgit argumentum, sub illis fuisse comprehensa l. 1. §. Dejicitur ff. de vi, & vi armor. cap. fin. 3. quest. 3. *Alex. conf. 151. num. 2. lib. 6. Surd. conf. 160. n. 39.*

Ut hinc jure merito, tam Historici, quàm Juris Consulti Scribentes super origine, & intelligentia dictæ Regulæ secundæ Cancellariæ pro absoluto supponant, ac firment eam comprehendere Monasteria electiva, ut ex Histor. refert *Villanus loco supra citato, & P. Thomassin. locis pariter supra laudatis, & signanter part. 2. cap. 38. num. 10., quibus additur Roussell. lib. 2. Histor. Jurisd. Pontific. cap. 3. n. 4. & seqq. Card. Ofsat. epist. 296.* Et Juris Consultorum plenus numerus recensitus fuit in decisionibus Causæ, quibus additur *Card. Zabarell. conf. 5. num. 2. Card. Tusc. ver. Beneficium conclus. 75. n. 3. Simonett. de reservat. quest. 39. num. 2. Nicolai. ad concord. German. §. 19. Sot. ad hanc regulam secundam n. 5. & 6.* qui una voce fatentur per regulam secundam fuisse rescissas electiones, quodque Germania excepta, ab Aula recesserit titulus electionis, itaut ex eo parum, aut nihil lucrentur Advocati, & in specie observant *Bursatt. dicto conf. 126. n. 20. Matt. ad Concordat. German. n. 37. & 38.*

Quemadmodum etiam ex præmissis facili negotio eliminatur objectum, quod reservatio Abbatiarum in regula secunda restringi debeat ad jus confirmandi electiones. Nam si juxta superius dicta, & firmata communis omnium sensus est, Regulam sustulisse electiones, necessarium consequens est non reservasse solam illarum confirmationem supponentem antecedens ipsarum exercitium. Et profectò cum Pontifices reservaverint Monasteria,

ria,

ria, avocarunt à Monachis facultatem de illis quoquo modo disponendi, dum re-
 25 servatio communiter definitur Beneficii vacaturi per Papam à se facta avocatio
Aneas de Falcon. de reservat. quest. 1. n. 1. Simonett. eodem tract. quest. 1. num. 1. P. Azor. instit. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 34. quest. 1. Fragos. de Regim. Reipub. Christ. tom. 2. lib. 3. disput. 9. §. 3. num. 78. in fin. Tondut. de re benef. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 1. Per confirmationem autem non avocatur à Monachis facultas eligendi, sed facta electio supponitur Pontificiæ approbationi, ut de se patet, ac planè comprobatur prima decisio Causæ §. 19.

Hanc veritatem mirificè confirmat Constitutio 86. tom. 2. Bullar. san. mem. Pii Quarti, in qua facta distinctione inter Monasteria perpetua electiva excedentia valorem florenorum 200. nullumque habentia privilegium eligendi resistens reservationibus Apostolicis, ac inter alia consimilia hoc privilegio speciali munita, refertur prima tanquam reservata, esse providenda per Sedem Apostolicam mediante Collatione, altera verò secundæ speciei spectare ad Canonicam electionem Conventuum, & ad confirmationem Sedis Apostolicæ, ex qua Pontificia declaratione duo inferuntur. Alterum, quod sub Regula secunda cadant Monasteria electiva. Alterum, quod ipsius reservatio verè comprehendat jus disponendi, & conferendi, & non electiones tantum confirmandi, qua interpretatione, utpote procedente ab ore Pontificio, nulla melior desiderari potest ad rectam propositæ quæstionis resolutionem per ea, quæ tradunt *Mantic. dec. 59. num. 11. & dec. 217. n. 4. & 5. coram Royas, & dec. 114. par. 6. rec.*

Idque etiam evidens efficitur ex stylo Dataria, & Cancellariæ, quæ non approbant, neque confirmant electiones nisi in tribus casibus, nempe concordati, consuetudinis immemorabilis, & specialis privilegii, quibus cessantibus provident Abbatis Regulæ secundæ subiectas eodem modo, & formula, quibus provident Episcopatus, ut testatur *Mandos. in tract. de signat. Grat. tit. de confirmat. §. Electiones*, & adnotatum reliquerunt Abbreviatores de Parco in quodam manuscripto relato in *hodierno Summ. Dataria*.

Hinc transeundo ad ultimum assumptum observantiæ, tam generalis, quam individualis, utraque certè confirmat,
 26 Regulam secundam comprehendere Abbatis electivas. Siquidem, quod spectat ad generalem, nulla adducta fuit posterior electio, quæ illam destruat, quia si loquamur de electionibus Monasteriorum Germaniæ, istæ factæ fuerunt, diutimque sunt vigore Concordatorum, quapropter nihil obstant geminæ provisiones Monasterii Lobien. datæ in *hodierno Summario Patris Maillet n. 8. & 9.* situm quippe est dictum Monasterium in agro Leodiensi, & in ea parte Diocesis Cameracen., in qua vigent concordata Germaniæ, ut firmant *Nicolart. ad eadem concordata tit. 3. dub. 1. §. 5. Vvames. conf. 33. num. 13. Leonin. conf. 50. per tot. Zypeus consult. 3. n. 6. 19. & 25. & consult. 6. num. 8.*, & dixit *Rota in Romana Exemptionis Calceolariorum 22. Junii 1693. §. finali, coram bo. me. Emerix*. Idemque dicitur de Monasterio S. Mariæ de Altaripa Lausanen. Diocesis, in qua locum quoque sibi vindicant concordata Germaniæ, cum Laufanna sit urbs Helvetiæ, sicuti testatur *Baudran. in lexicon verbo Lausannium, seu Lausanna. Hoffman. in verbo Lausanna*.

Si verò sermo est de Monasteriis Poloniæ, & in hoc Regno vigent consuetudo immemorabilis, & privilegia Apostolica, quibus præcipuè gaudent Monachi Cisterciensis. Unde nihil urgent exempla electionum Abbatia Landensis Ordinis Cisterciensis, de qua *dicto Summario n. 3.*, & Montis Calvi Cracovien. Diocesis *dicto Summario num. 5. & 6.*, prout etiam, nec concluderet electio Monasterii Cracovien. de Clara Tumba Ordinis Cisterciensis, de quo in *dicto Summ. n. 4.* Cæterum nullatenus probatum fuit, hujusmodi Abbatiam esse Concistorialem, & taxatam in libris Cameræ, imò liquet de negativa, ex Taxa Abbatiarum impressa post *Tamburinum de jur. Abbat. fol. 498. §. Cracovien.* Unde ex hoc alio capite non cadit sub Regula secunda, requirente valorem annum 200. florenorum.

Aliarum autem Regionum nullum affertur, neque afferri potest exemplum
 28 electionum Regulæ obstativum. In Italia nam-

namque Abbatis sunt triennales, manuales, & à Capitulis generalibus providentur; hancque ob causam sub regula non comprehenduntur ad evitandum absurdum, quod Provisus à Papa debeat ab inferiore removeri, ut notarunt *Cochier. ad hanc regulam n.17. Cortiad. decis.153. num.35. Coccin. dec. 1023. n.13. cum aliis relatis in prima Causa Decisione*. In Gallia, in Hispaniis, & in Belgio Reges

29 Catholicus, & Christianissimus obtinent indulta nominandi, & præsentandi, in Portugallia Rex habet jus supplicandi, quamobrem in sola Lotaringia ista Regula verificabilis remanet, cum careat concordatis, privilegio, & consuetudine, & sic sensim fit transitus ad observantiæ particularis indagationem.

30 Caret inquam concordatis, quia Lotaringia sub illis Germaniæ non comprehenditur, ut latissimè refert *Card. Offat. in præcit. epist. 296. eoque adducto Thomassin. dicto tom.2. cap.40. sub n.9.*, & resolutum fuit per *Rotam in Viridunen. Electionis Episcopatus 15. Octobris, & 15. Novembris 1593. coram Cardinali Pamphilio, & coram Coccin. dec. 2245. num. 30. & seqq.* Nec minus obtinet privilegia. Nam adducta in prima Causæ propositione abundè confutat prima Decisio à n.20. usque ad finem. Neque demum viget consuetudo, cum de illius Abbatis ferè semper providerit Papa, ut testatur *Card. Offat. in sepedita epist. 296. ibi = La riputazione di V. M. in questa Corte non comporta, che il vostro nome, e la vostra potenza siano impiegati ad abbattere l' autorità del Papa, ed a spogliare la Santità Sua del Possesso, nel quale si trova di provvedere a queste Badiè. E che per far ottenere ad un Particolare ciò che non l'appartiene, Vostra Maestà si ponga in cattiva intelligenza col Papa =* & post enarratam electionum Historiam à Joanne XXII. rescissarum hæc addit = *Si come Vostra Maestà non puol esser ripresa di conservare il dritto delle nomine, ne' luoghi, ove non sono in uso, non è decente, nè espediente per i vostri affari, che V. M. per l' appetito d' un Particolare si affatichi di risuscitare l' elezioni già estinte contro il Papa regnante, che ha trovato le cose in questo stato, e che non fa altro, che mantenersi nel Possesso trasmessogli da' suoi Antecessori, & reassumit Thomassin. dicto cap.40.*

n.9., ex quorum Testimonio confunditur prætenso P. Mailler, quod Monachi Lotaringi à Joanne XXII. usque ad annum 1480. fuerint in possessione eligendi, non obstante exemplo electionis factæ de Anno 1455., illiusque confirmationis concessæ à Calixto Tertio, quia est unicum, & mandatum de confirmando, & non confirmatio, quo secluso nullum datur alterum exemplum, quod Monachi elegerint, & Sedes Apostolica electionem confirmaverit, quinimò constat Anno 1515. Monachos postulasse, & non docetur, postulationem fuisse admittam, ac rursus apparet Anno 1634. elegisse, & electionem fuisse rejectam, ut ex *Summario Monachorum sub die prima propositionis distributo n.12.*

31 Non omitta altera ponderatione facta in secunda Decisione Causæ, quod scilicet antiquitus in reservatione Regulæ secundæ apponebatur clausula *quatenus Summi Pontifices illa uti voluerint*, atque idè tunc non repugnabat observantiæ regulæ, quod Summus Pontifex admitteret electiones, cum ab ejus libera voluntate penderet uti reservatione, vel eam dimittere juxta Votum editum à *bo. me. Card. Corrado in Bisuntina Postulationis 16. Junii 1657. S. Non obstat, & S. seqq.* Idque comprobatur ab exemplo ipsiusmet Papæ Calixti, qui Anno 1456. confirmavit electionem factam à Canonicis Vercellensibus de Gregorio Giliaco Archidiacono in ipsius Ecclesiæ Episcopum, ut narrat *Cusan. in vitis Episcop. Vercellen. disc. 93.*, quapropter sicuti erraret, qui diceret Episcopatum Vercellensem non cadere sub Regula secunda, ex quo Calixtus Anno 1456. admiserit Canonice electionem, ita pariter erroneum, est prætere, quod Monasterium, de quo agitur non cadat sub eadem reservatione, ex quo idem Calixtus Anno præcedenti Monachorum electionem confirmari mandaverit, præcipuè quia, ut præfertur, non exhibentur alii actus electionum, ex quibus concludi possit consuetudo immemorabilis inducens præsumptionem privilegii Apostolici, imò concurrunt actus contrarii electionum rejectarum, ex congestis per *Rota dec. 48. n. 14. cor. Bichio, & in Leodien. Jurisdictionis 11. Aprilis 1698. S.2. coram Me, & in Firma-*

na Jurisdictionis 10. Maji 1700. S. Præ-
tarea cor. Me.

Cæterum omnem submover amaritudinem Breve Pauli V., in quo expressè dispositum, & cautum fuit, ut Collationes, & provisiones Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Lotaringia ad S. Sedem Apostolicam, ut prius pertinerent, itaut nullus de illis præter Romanum Pontificem pro tempore existentem ullo modo disponere possit, per quæ citra ullum dubitandi locum antiqua generalis reservatio fuit confirmata, & nova specialiter inducta, ut dictum fuit in prima Decisione n. 27. & seqq., nec hæsitari potest, quin hujusmodi Breve fuerit ad observantiam deductum, quia vacata paulò post illius publicationem Abbatia S. Naboris Congregationis SS. Vitoni, & Idulphi, cum Monachi devenissent ad electionem, eam uti nulliter, & de facto emanatam rescidit dictus Pontifex, de ipsaque disposuit ad favorem Joannis Porcellotti Maillanei, ea reddita ratione, quia illius Collatio, provisio, & omnimoda dispositio virtute suarum antecedentium Literarum ad S. Sedem Apostolicam spectabat, ut constitit ex ipsis Literis transcriptis in hodierno Summ. Datarie litt. C.

Denuò hoc idem Monasterium vacavit sub Urbano VIII., à quo provisum fuit favore Caroli de Bourlemont, & quia Monachi elegerunt P. Pulchronium, inter ipsum, & Provisum Apostolicum orta fuit quæstio, delata postea ad Sac. Rotam, quæ licet primo loco respondisset pro nullitate electionis ob non servatum Capitulum quia propter, ac non pètitam à Sede Apostolica confirmationem juxta concordata Germaniæ, quæ per viam
32 extensionis locum habere in Diocesi Methen. Rota tunc supposuit, ut videre est in tota decisione 43. Duno. Jun. Pro secunda tamen vice proposita Causa, exhibitoque Breve Pauli V., nec non alio rescripto Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, confirmato in speciali forma à sa. me. Urbano VIII. recessum fuit à Decisis, ut in decisione 73. per tot. ejusdem Duno. Jun. Quibus stantibus constat ad evidentiam de praxi Datarie favorabili non admittendi electiones Monachorum hujusmodi Congregationis SS. Vitoni, & Idulphi, etiam in iis locis, in
Pars VI.

quibus vigere concordata Germaniæ erroneè suppositum fuerat, ergo multò magis in isto Viridunen. Diocesis, in quo certum est nunquam viguisse concordata, remanetque per consequens quælibet observantia contraria, quatenus adesset, sublata per posterius Breve Paulinum, & Sacræ Congregationis Rescriptum per viam legis universalis emanatum, ut animadvertit Rota dicta dec. 73. in fine coram Duno. Jun.

Non turbante nupera provisione Monasterii S. Petri de Luneville facta sub fine Pontificatus sa. me. Innocentii XII. Tum quia est de ordine diverso, nempe Regularium S. Augustini, qui forsàn habere possunt speciale privilegium Regularum Cancellariæ derogatorium, prout illud obtinent Canonici Præmostратenses sub eadem regula militantes, de quo Rota in dec. 41. coram Verall. Tum quia constat patenter dictam expeditionem processisse ex errore, cum suppositum fuerit, Monachos intrà sex menses non elegerit, & tamen cum vacasset per obitum Commendatarii nulla requirebatur electio Monachorum, ut dixit Rota cor. Coccin. dec. 2245.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Regula secunda Cancellariæ non comprehendit beneficia simultaneæ præsentationis; An autem comprehendere intendat, quando hæc simultanea est divisa per Turnum? Vide prout in corpore.

SUMMARIUM.

- 1 Literæ subreptitiæ non sunt exequendæ.
- 2 Beneficia simultaneæ collationis, aut præsentationis non cadunt sub Regula secunda Cancellariæ. Quid si hujusmodi simultanea sit divisa per Turnum? Vide num. 3.